



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio Prima. Quid sit Conscientia Scrupulosa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

foemina, & ex æquali gradu, & sexu descendant: & nisi speciale jus Regni aliter disponat, ut accidit in successione Regni Lusitanie mortuo Serenissimo, & diu expectatissimo Rege Sebastiano. Fuit casus.

928.

Cum in prælio illo Africæ cum Saracenis commisso defecisset Serenissimus Lusitanie Rex Sebastianus, Regni coronam suscepit ejus avunculus Serenissimus Rex Henricus tunc Cardinalis, & Legatus à latere in Lusitania, Serenissimique Regis Emmanuelis filius, qui cum ad extremum vitæ diem pervenisset, debuissetque sibi successorem declarare, justis de causis totum hoc negotium Sedi Apostolicæ decidendum commisit, ita tamen, ut si quis vocatorum ad Coronam interim armis Regnum invaderet, totum suum jus amitteret. Accidit autem (cum Serenissimus Rex Emmanuel inter alios filios habuisset Ludovicum, Eduardum, & Elizabetham, quam Serenissimus Imperator Carolus V. uxorem duxit,) quod tempore mortis Serenissimi Regis, & Cardinalis Henrici, (qui fuit etiam Regis Emmanuelis filius,) extarent vocandi ad regni coronam D. D. Antonius filius naturalis Serenissimi Infantis Ludovici: Serenissima D. D. Maria Principissa Parmensis filia nata major Infantis Eduardi: Serenissima D. D. Catharina filia secundò natu ejusdem Infantis Eduardi, Ducissa Brigantina, aviaque Serenissimi Ducis Brigantini Joannis postea Regis Huius nominis quarti: & Serenissimus Hispaniarum Rex Philippus II. Imperatricis Elizabethæ filius.

929.

Qualisnam ex his haberet integrum jus ad coronam, facile judicari poterat ab illis, qui speciale jus Lusitanie agnosceret, nisi Serenissimus Hispaniarum Rex jus successionis suæ in armis posuisset: habet enim Lusitania Regnum legem per comitia totius Regni firmatam, ut omnis Principissa, quæ extra Regnum, & externo Principi nupserit, eò ipsò jus successionis amittat, propter quam legem, & quia filius filiaque Regis Serenissimi Emmanuelis, nullum jus successionis ad coronam Lusitanie habebat Serenissimus Hispaniarum Rex Philippus II. sic etiam ob eandem legem exclusa fuit Serenissima Principissa Parmensis, licet filia nata major Serenissimi Infantis Eduardi, cujus filia secundò natu Serenissimæ Catharinæ Ducissæ Brigantinæ omne jus integrum ad coronam remansit, & quia à lege non excluderetur, & quia filia filii Serenissimi Regis Emmanuelis, & quia legitima, per quod excluderetur D. D. Antonius, utpotè filius naturalis Serenissimi Infantis Ludovici. Hac tota quaestio, quæ tempore Serenissimi Regis Joannis IV. (qui Serenissimæ Catharinæ Ducissæ Brigantinæ nepos fuerat,) octo supra viginti annorum spatio armis fuit decisa, Hispania ipsa tandem sæpe sæpius devicta pacem efflagitante, totumque jus concedente Serenissimo Regi Petro secundo nunc Dei gratia regnanti.

930.

Dico secundò, vassallus duorum Principum, qui ad invicem gerunt, potest juvare quem maluerit. Ita cum multis Tirag. de jur. primogenit. q. 17. n. 13. & 14. Idem dicendum de cive duarum coloniarum, qui simul ab utraque vocatur ad officia; poterit enim cui maluerit parere, & inservire. In dubio quis è duobus sit verus Pontifex? Mittantur sortes; non enim possunt esse simul duo Papæ. Si duo patroni dissentiant circa præsentatum, in dubio qualisnam sit admittendus; poterit Episcopus, quem maluerit acceptare, eique gratificari. Similiter Reus, quando est dubium, coram quo ex pluribus iudicibus debeat comparere, potest quem maluerit eligere: sicut etiam in dubio, qualenam ex duobus testamentis sit ultimum, cum utrumque

fuerit factum eodem tempore, Judex poterit, quod maluerit, ultimum declarare. Ita Tirag. cit.

Dico tertio, habitans in confinio duarum Parochiarum, ita ut ignoret, cujus sit parochianus, censetur utriusque parochianus, teneturque æqualiter dividere decimas solvendas. Ita Tirag. cit. opin. 4. n. 17. Tunc verò jus sepulturæ, confessionis, & administrationis aliorum Sacramentorum, & similibus jurium parochialium circa talem hominem, debent inter Parochos dividi alternis Mensibus, sive annis. Idem est de Episcopis contendentes de aliqua Parochia sita in confinio utriusque Diocesis, ita ut dubitetur, ad quem illorum pertineat. Ita Tirag. cit. q. 17. opin. 5. num. 3. & 7. Deberent tamen simul concurrere ad quamlibet sententiam; alioqui poterunt ferre sententias contrarias, quæ tamen nihil valebunt. Vide Gloss. in cap. Non autem 7. q. 1.

## DISPUTATIO VI. De Conscientiâ Scrupulosâ.

### SECTIO I.

#### Quid sit Conscientia Scrupulosa.

**N**IMIS obscure loquuntur Doctores de Conscientiâ scrupulosâ: alii enim illam confundunt cum Conscientiâ dubia, de qua hæcenus: alii verò cum Conscientiâ erroneâ, de qua jam supra. Scrupulus igitur ex vi nominis significat parvum lapillum calceo inhaerentem, & pedes affligentem. Hinc deductâ metaphorâ soleamus appellare scrupulum afflictionem animæ, quæ ipsa affligitur putans aliquid esse peccatum. Attamen:

Difficultas 1. sit: Quæ, & qualis sit scrupuli definitio apud Theologos? Scrupulus definitur primò: *Apparentia aliqua contra id, quod aliquis credit, aut opinatur, aut dubitat.* Ita Navar. cap. de quis autem de Panit. dist. 7. n. 13. & in sum. cap. 27. n. 279. Secundò definitur: *Affensus ex levibus conjecturis.* Ita D. Antonin. 1. p. tit. 3. cap. 10 §. 9. Tertio definitur: *Affensus ex magnis conjecturis parum estimatis ab scrupulum habenti.* Ita Cordub. lib. 99. q. 2. in princip. Quarto definitur: *Formido ita tenuis, ut sit contra eam agendum: aut Formido stans simul cum opposita opinione.* Ita Sor. de Secret. memb. 3. q. 2. conclus. 3. Melius tamen, his omnis definitionibus, definitur: *Affus levibus, & insufficientibus rationibus innixus, quo quis inducitur ad credendum, vel adhibendum esse peccatum, quod revera non est.* Ita P. Vasq. 1. 2. q. 19. d. 67. cap. 2. n. 8. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 29. num. 191. P. Valent. ibid. d. 2. q. 14. punct. 4. sine. P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. n. 2. & lib. 2. de Marrim. d. 41. n. 2. quos citat, & sequitur P. Pal. tom. 1. tract. 1. d. 4. punct. 1. n. 1. Undè:

Notabis primò, scrupulum contingere formaliter, quando quis assentitur uni parti, & ibi non quiescit, sed vexatur, & perturbatur ob suspicionem, & formidinem de altera parte conceptam ex levibus rationibus, vel sine ulla ratione. Ita Bossius de Conscient. scrupul. num. 2046. Undè apprehensio malitiæ

malitiâ actûs, vel objecti ex levi ratione, seu fundamento, erit scrupulus solum inchoativè: formaliter verò, & completè scrupulus est iudicium illam apprehensionem sequens, quo quis aliquid ex levi fundamento credit esse peccatum; siquidem hoc iudicium est, quod causat in voluntate timorem, & perturbationem ob cognitionem offensæ Dei, peenæ, & aliorum malorum, ex quibus nasci solet anxietas, & tristitia, quæ minuit animi vigorem. Secundò, scrupulum, licet formaliter consistat in actu intellectûs, semper tamen connotare, seu requirere in voluntate timorem, & alios actus supra numeratos.

4. *Difficultas 2.* In quo distinguitur Conscientiâ scrupulosa ab aliis, de quibus supra? Conscientiâ scrupulosa distinguitur à conscientiâ rectâ & probabili in eo, quod hæc nec requirunt actus in voluntate, nec innituntur levi fundamento: illa verò maximè, ut diximus. Conscientiâ erronea cum sit duplex, prout supra diximus: altera deobligans, ut cum invincibiliter iudico, me non teneri ad Missam audiendam, cum tamen reverà teneat: altera verò obligans, ut cum invincibiliter iudico, esse hodie jejunii legem, cum tamen non sit: ab utraque distinguitur conscientiâ scrupulosa.

5. Distinguitur à Conscientiâ erroneâ deobligante, quatenus hæc nos deobligat: illa verò scrupulosa nos obligat, quatenus credimus, nos teneri vitare ut peccatum, quod reverà peccatum non est. Distinguitur à Conscientiâ erroneâ obligante, quatenus hæc potest inniti fundamentis non levibus, ut si homo doctus dicat esse hodie legem jejunii, cum tamen in hoc erraverit: illa verò scrupulosa semper nititur levi fundamento: in quo si etiam nitatur Conscientiâ erronea, ab illa non distinguitur tunc conscientiâ scrupulosa. Si verò fundamenta illa secundum se sint levia, & homini appareant non levia; tunc conscientiâ illa secundum se erit scrupulosa, etiam quoad homines doctos: at verò quoad hominem illum erit conscientia erronea: sicut dicunt Logici, esse aliquas propositiones per se notas, & necessarias secundum se, quæ tamen tales non sunt quoad nos.

6. Distinguitur Conscientiâ scrupulosa à conscientiâ dubiâ, quatenus illa consistit in iudicio; hæc autem in suspensione, prout supra diximus. Undè scrupulus potest stare cum iudicio opposito: non ita verò dubitatio: ut si ex levi fundamento iudico hodie esse legem jejunii, possum ex autoritate alicujus Doctoris, aut ex aliis rationibus, efformare iudicium contrarium, nempe, quod hodie non sit lex jejunii: si tamen dubito, an hodie teneat ad jejunium, non possum efformare iudicium, quod non teneat, dum persistit illud dubium.

7. *Difficultas 3.* Quæ, & qualia sint signa hominis scrupulosi? Multa & varia sunt signa, ex quibus facile dignosci poterit, quisnam sit scrupulosus, nempe, si se videat tristem, & vehementibus imaginationibus impugnatum sine fundamento: si facilia, & omnibus nota frequenter interroget: si post responsum à viro prudente, & docto datum, advertat, animum suum non quiescere, sed hæzere: Si modò iudicet ut peccata, quæ antea sciebat talia non esse: si de his dubitet, de quibus nullam unquam rationem dubitandi habuit: si post arreptam virtutis viam, se inquietum, & perturbatum agnoscit in his, in quibus antea quietus erat ex prudenti ratione: si non absque molestia turbationis exercet eas occupationes, negotia, & exercitia, quæ alii sui scævitiâ timorata conscientia sine ullo timore, aut turbatione exercent: qui hæc, & alia similia signa, aut

illorum aliquod in se viderit denudè; aut post aliquod tempus, in quo vitam, sive conscientiam quietam egerat, sciat se scrupulis laborare, & ad remedia, de quibus infra, se conferat.

Advertendum tamen est, cum nemo in sua propria causa sit bonus & rectus iudex, ut homo se reputet scrupulosum, non suo, sed prudentis, & docti Confessoris iudicio stare oportere: Confessor autem si prudens, & doctus sit, ex prædictis signis facile cognoscet hominem scrupulosum; præsertim si deprehendat, quod homo sine fundamento firmo existimat esse peccatum, quod reverà peccatum non est.

## SECTIO II.

## Utrum liceat cum Conscientiâ scrupulosâ, non deposito scrupulo operari?

**S**ensus quæstionis est, dicat mihi scrupulus absque sufficienti fundamento, quod hodie sit obligatio jejuniandi, vel audiendi Missam: Quæstio est, utrum possim absque peccato jejunium, vel Missam omittere, durante illo scrupulo, & illum non deponendo, imò agendo, & operando contra illum? Sub aliis terminis solet hæc quæstio à Doctoribus excitari, nempe: Utrum sit peccatum agere, sive operari contra Conscientiam scrupulosam; sicut peccatum est, ut supra diximus, agere, sive operari contra Conscientiam erroneam, aut dubiam? Hoc posito.

Dico 1. Non est necessarium deponere scrupulum, ut licita sit actio contra illum facta; sicque scrupulosus potest licitè operari, & operatur, Conscientiâ scrupulosâ intrinsicè non depositâ, dummodò tamen extrinsicè illam deponat. Undè advertes, scrupulosum dupliciter posse iudicium suum deponere: Primò intrinsicè, sive per principia intrinsicè, sive rationes de novo occurrentes, quibus iudicium in contrarium mutetur, & iudicet licitum esse, quod antea illicitum iudicabat: Secundò extrinsicè, sive per principia extrinseca, nempe per autoritatem Confessorii, sive alterius viri prudentis, & docti dicentis, nullo modo peccaturum, licet operetur non deposito suo iudicio levibus fundamentis innixo; imò rectius acturum, si adhuc illo non deposito contra illud operetur.

Quæstionem in hoc sensu expressè tenent Navar. in cap. Siquis autem, de Pœnit. dist. 7. num. 64. & 65. & in sum. Prælucl. 9. num. 9. & tomo 1. Confessorior. consil. 9. de Emption. P. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 10. n. 80. Nider. præcept. 1. cap. 5. n. 9. P. Sa verb. Dubium, num. ult. P. Becan. tomo 2. tract. 1. cap. 4. q. 10. Cordub. lib. 3. q. 5. proposit. 4. Zerol. in praxi pœnit. fol. 384. Montefin. 1. 2. d. 29. q. 6. n. 254. Figueroa in Medico Spirit. cap. 3. Grass. lib. 1. decis. cap. 16. n. 16. & tomo 1. Consil. consil. 5. n. 5. Malder 1. 2. d. 88. P. Granad. 1. 2. tract. 12. d. 5. n. 2. P. Laym. tomo 1. cap. 6. §. 4. n. 2. Corneio 1. 2. tomo 1. tract. 8. d. ultimi. Villalob. tract. 1. de Conscien. diff. 27. n. 4. Rodrig. omo 99. regul. q. 46. art. 3. & tomo 3. q. 66. art. 3. ubi multa de remediis scrupulorum, Sayr. in clayi lib. 1. cap. 14. P. Valsq. 1. 2. d. 62. cap. 3. n. 10. & d. 67. cap. 2. n. 8. P. Lessius lib. 2. de Just. cap. 41. dub. 9. n. 76. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. un. sect. 29. P. Egid. d. 34. de Sacram. dub. 10. n. 84. P. Reginal. lib. 1. cap. 6. & 14. P. Valens. tomo 2. d. 2. q. 14. punct. 4. quos citat, &